DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

DE

SCIRRHO ET CARCINOMATE UTERI.

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AUGUSTO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM

PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE

PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTE

BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

IURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

A. D. IV. M. FEBRUARII A. CIƆIƆCCCXXVIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CHRISTIANUS AUGUSTUS KAPHAHN

OSTERFELDA-BORUSSUS.

IENAE

TYPIS SCHREIBERI ET SOC.

DE SCIRRHO ET CARCINOMATE UTERI.

Scirrhi et carcinomatis uteri notio.

Scirrhum uteri eam vocant indurationem, quae in cervice plerumque, rarius in fundo uteri sedem occupans, in carcinoma i. e. in ulcus cancrosum mutari propensa est. — Si in hoc scirrhus revera mutatur, cancrum uteri apertum refert, qui sanguinem et saniem largiter fundens, uteri cervicem et orificium ceterasque partes propinquas exedit et febri demum hectica accedente vitae finem imponit. — Ex quo intelligitur, uteri scirrhum a ceteris ejusdem organi indurationibus non scirrhosis distinguendum esse. Scirrhus enim perpetuo ad exulcerationem cancrosam proclivis est, quae nunquam, certe non solis naturae viribus sanatur. Induratio vero non scirrhosa per se ipsam nunquam abit in carcinoma. —

Haec de morbi, quem explicare nobis proposuimus, notione sufficiant. Sequitur nunc, ut de *Scirrhi et Carcinomatis uteri Diagnosi*, *Decursu*, *Aetiologia*, *Prognosi et Therapia* uberius loquamur.

Scirrhi et Cancri uteri Diagnosis et Decursus.

Cum omnis morbus, tum etiam uteri scirrhus et carcinoma suas habet notas, quibus cognosci et ab aliis morbis discerni potest. Hae vero notae, quarum aliae sponte se praebent, aliae non nisi exploratione per vaginam percipi possunt, non perpetuo eaedem esse solent, sed variae sunt in variis morbi stadiis, quae, ut rite distinguantur magni profecto momenti est, quamquam hoc a plurimis et nostri et pristini aevi medicis neglectum esse videtur. Tria autem sunt stadia, quibus uteri scirrhus sibi ipsi relictus et ab initio non sanatus, absolvitur.

Stadium primum s. morbi incipientis.

Hoc stadium symptomata plerumque praebet minus gravia molesta et disticta, quamobrem aegrae, quum imminens periculum ignorent, opem quaerere in hoc stadio negligunt et ipse medicus statum praesentem non perpetuo cognoscit, donec ad alterum tertiumve stadium progressus est morbus.

Praecipua autem symptomata huic stadio propria haec sunt:

1) Dolor in pelvi, modo gravior et pungens, modo autem levior et obtusus adest, attamen non continuus sedis remittit, stimulo autem quodam admoto augetur, maxime coitu, quamobrem eum feminae fugiunt.

2) Sensus in pelvi gravativus, qui ita comparatus est, ut aegrae pondus aliquod vel corpus peregrinum in pelvis inferiorem partem descendere et delabi putent, potissimum si corpore erecto incedunt, minus si recubant.

3) Alvi et urinae excretio plerumque dolorifica, urinae retentio, cum mingendi nisu conjuncta; quae tamen non ad perpetua symptomata pertinent.

4) Haemorrhoidum symptomata i. e. haemorrhoides caecae, pruritus in ano rel.

5) Menses perturbatae i. e. aut suppressae aut nimis parcae aut, id quod tamen in hoc stadio rarius accidit, profusae, aut non justo tempore fluentes.

6) Hysterismus, qui non semper, attamen plerumque morbum comitare solet.

7) Constitutio hoc in stadio minus debilitata, quam in altero tertiove, animadvertitur. Pulsus tamen etiam in hoc stadio interdum parvus duriusculus et frequens esse solet.

8) Exploratio *) tum per vaginam tum externe instituta pauca in hoc stadio nobis suppeditat, ad morbum rite cognoscendum. Nam externam abdominis explorationem si spectas, ea nihil invenies, nisi abdominis quemdam tumorem tactu nonnunquam modice dolentem; non tamen perpetuo res ita se habet. Exploratione autem per vaginam instituta uterum quidem paululum descendisse observatur, sed ceterum vix aliquid morbosi, nisi duriorem nonnunquam uteri portionem vaginalem eamque dilatatam vaginamque ipsam saepe calidam atque pituita madidam.

---

*) Vide Dr. *W. J.* Schmitts *Erfahrungsresultate über die Exploration beym Scirrhus und Krebse der Gebärmutter und andern krankhaften Umständen des Uterus* insert. *Harlesii* annal. *Jahrbücher der teutschen Medicin. Nürnberg* 1813, 1. B. N. II. p. 74.

Haec autem omnia hujus stadii symptomata ita comparata sunt, ut neque scirrhum uteri praesentem, neque cancrum futurum certa et distincta ratione cognoscere possis; attamen cancri futuri suspicionem movent, potissimum si aegra ad eam aetatem pervenerit, qua concipiendi facultas jam extingui coepit aut si revera haec extincta est, aut si mensium perturbatione aliisque uteri morbis jam antea laboraverit, aut si aliae causae, quae cancrum gignere possint, accesserint.

Stadium secundum s. Stadium cancri occulti.

Quae huic stadio competunt symptomata, ipsum uteri scirrhum ejusque in cancrum exitum futurum certius demonstrant.

Sunt autem haec symptomata, quae sequuntur:

1) symptomata stadii primi non solum perdurant sed etiam ingravescunt, maxime sensus gravativus et dolor in pelvi pungens, qui minus nunc remittit et in quoque situ sentitur. Deinde etiam mensium fluxus magis turbatur, quam antea, tum quoad typum, tum quoad sanguinis copiam, qui effluit isque saepe cum colica menstruali conjunctus est. Quo vehementiores autem in hoc stadio dolores in pelvi sunt, eo magis verendum est, ne in cancrum apertum brevi immutetur scirrhus.

2) His adjuncta sunt Leucorrhoea et sanguinis praeter menstrua e genitalibus fluxus, tam in feminis senioribus, quarum menses jam cessaverunt, quam in junioribus.

3) Exploratione per vaginam genitalia externa tumentia aut relaxata et, aeque ac ipsa vagina, muco obsita inveniuntur,

collum et orificium uteri autem tumidum, tensum, inaequale, rimosum et quasi dilaceratum reperitur. Ipsa exploratione excitantur summi in utero dolores.

4) Exploratione per intestinum rectum instituta, uterus ipse durus et tumidus tactui se praebet et dolet. Intestinum rectum autem saepe constrictum, nonnunquam varicibus haemorrhoidalibus obsitum est.

5) Hisce symptomatibus et multa alia eaque consensualia et consecutiva accedunt, ut vultus mutatio et faciei pallor, mammarum flaccitas, quin totius corporis marcor, appetitus et digestionis prostratio, caloris animalis imminutio, cardialgia, nausea, vomitus, sensus formicationis, artuum paralysis et languor, dolores ischiadici, cephalalgia, maxime in ossis frontis regione, somni per dolores perturbatio, aliaque.

Quo magis haec symptomata augentur, eo magis arguere licet, stadium tertium appropinquare.

Stadium tertium, s. stadium cancri aperti.

Hoc in stadio cancer antea occultus, in ulcus carcinomatosum revera immutatur; quod fieri, aut factum esse, ex iis, quae sequuntur, cognoscitur.

1) Dolores in pelvi et potissimum in uteri regione, quae in altero stadio jam vehementiores fuerunt, nunc ita ingravescunt, ut in quocunque aegrae situ, aut non, aut parum remittant, maxime autem nocturno tempore augeantur.

2) Quibus adjunctae sunt et haemorrhagiae e vagina saepe enormes et periculosae, viresque exhaurientes vixque sistendae, et

ichoris tenuissimi vehementer foetentis e genitalibus effluxus, qui tam acris est, ut genitalia externa, vagina, quin ipse uterus ab ea arrodatur.

3) Exploratione per vaginam, si instituitur, vagina ipsa corrosa, portio uteri vaginalis brevior facta et saepe vix distinguenda, spongiosa plerumque, tuberculis obsita reperitur, et exploratione dolores augentur et ichoris sanguinisque fluxus excitatur.

4) Cetera, quae in hoc stadio animadvertuntur symptomata, eadem sunt, quae in stadii secundi descriptione sub 5. leguntur; ita tamen, ut ad majorem vehementiam perveniant. His autem accedunt: glandularum fere omnium maxime mammarum, inguinalium et meibomianarum induratio, palpebrarum rubor, claudicatio, pedum oedema, convulsiones, tristitia, moeror, animi deliquium saepe revertens, febris demum hectica cum diarrhoea aut haemorrhagia colliquativa conjuncta et in dies ita crescens, ut vires et totum corpus penitus exhauriantur, donec mors, nonnunquam convulsionibus progressis, vitae finem imponit.

Ex his quae de signis hucusque diximus, facile perspicitur, scirrhum et cancrum uteri ſaepe adjunctum habere hujus organi inflammationem, eamque plerumque chronicam et lentam. Probatur id non solum doloribus uterum occupantibus, sed etiam e scirrhi transitu in ulcus cancrosum et ex ipsa curationis ratione, quae quemadmodum in posterum demonstrabimus, ea remedia non nunquam postulat, quibus inflammatio exstingui potest.

Morbi natura.

Perdifficile est scirrhi et cancri naturam tam abconditam rite explicare, et quum de hac re medici, iique principes, nondum consentiant, litem inter eos ortum ego componere non ausim, id potius spectans, ut varias doctorum sententias de hoc argumento prolatas enarrem.

Sunt nonnulli, ut Perillustr. de Siebold *) qui naturam scirrhi in inflamatoria metamorphosi eaque passiva ponendam esse censent, qua fiat, ut materies quaedam in intima organi inflammati substantia exsudetur, exudata vero induretur.

Sunt et alii, qui Scirrhum uteri in hujus organi condensatione positam esse, eamque ab inflammatione non oriri existimant, cui quidem opinioni Ill. C. G. Carus **) adstipulari videtur.

Liceat autem mihi et meam de scirrhi et cancri uteri natura afferre opinionem. — Cancer uteri non nisi in exulceratione hujus organi una cum singulari quadam dyscrasia quaerendus est, quam a causis occasionalibus derivandam esse, ex harum causarum cognitione apparet. Haec autem exulceratio a scirrho i. e. ab ea induratione, quae ad ulcerationem et dyscrasiam proclivis est, proficiscitur.

Morbi causae.

Sunt hae et *dispositio* ad uteri scirrhum et cancrum et *causae*, quas *occasionales* vocant. Utrumque causarum genus ita compara-

*) Vid. *Von den Frauenzimmerkrankheiten.* 1. B. p. 649.
**) Vid. *Lehrbuch der Gynaekologie* 1. B. p. 345.

tum est, ut accurate distingui undique non possit, quum quae dispositionem efficiunt, ipsum morbum provocare valant, si modo corpus gravius afficiunt.

Praecipua autem *Dispositionis* momenta haec sunt:

1) *Constitutio debilis*, *cachectica*, *cacochymica*, potissimum autem *scrophulosa*, *arthritica*, sive congenita et haereditaria sit, sive tristitia maerore, veneris abusu aliisque causis noxiis debilitantibus profecta.

2) *Hysterismus.*

3) *Aetas provectior*, ea nempe, quae mensium cessationem affert.

4) Nimia *veneris cupido* libidinisque excitatio frustanea i. e. venus libidinosis denegata.

5) *Menses turbatae* maxime parcae, difficiles, dolorificae et a typo menstruo aberrantes, etiam nimis copiose fluentes.

6) Eaedem causae, quae si gravius corpus infestant, ad occasionales pertinent, etiam dispositionem ad scirrhum et cancrum uteri proferre possunt.

Causae occassionales autem sunt:

1) *morbus scrophulosus*, *syphilis*, *arthritis*, *metastasis* aliique *morbi* et *processus morbosi* cum *specifica* quadum *humorum dyscrasia* conjuncti, qui si levius afficiunt corpus, potius ad causas praedisponentes, quam ad occasionales pertinent. Scrophulae autem maxime eo tempore, quo concipiendi facultas extingui coepit, scirrhi et carcinomatis uteri naturam nanciscantur, potissimum tum, quum si in aetate infantili adfuerant, tempore pubertatis plane evanescunt. Quod si fit, in ea aetate, in qua menses cessare solent, saepe redeunt et tum uteri scirrhum gignunt.

2) *Affectiones animi* corpus debilitantes, ut moeror, tristitia, amor frustaneus, aliaeque, quae etiam ad eas causas pertinent, quibus feminae ad scirrhum proclives redduntur.

3) *Evacuationum* et *morborum processuum suppressiones.* Huc pertinent metastases quaecunque, sive ab arthritide, sive ab exanthemate, sive ab ulcere aut a profluvio quodam supresso proficiscuntur; quibus itaque et mensium *) et fluxus alvi suppressio adnumeranda est.

4) Quaecunque *uteri violentia:* Huic adnumeranda sunt coitus vehemens et immoderatus, partus difficilis, incautum, quod parturientibus fertur, auxilium v. c. placentae solutio nimis vehementer peracta, improvida forcipis aut pessariorum applicatio, vestimentorum ventrem infimum comprimentium usus, medicamentorum adstringentium et frigidorum in vaginam injectorum abusus.

5) *Veneris nimia cupido* et *coitus denegatus* aut *immodicus;* quare meretrices, feminae libidinosae eaque non maritae, viduae, monachae prae ceteris scirrho et carcinomati uteri obnoxiae sunt, id quod etiam ad causas praedisponentes pertinet. Etiam polyandriam et reiteratum coitum frustraneum i. e. seminis extra vaginam emissionem scirrhi uteri causis adnumerare vellem.

6) *Menstruationis anomaliae variae*, si potissimum perpetuae sunt aut saepius revertuntur.

7) *Lactatio infantum omissa* aut *lactis secreti suppressio subitanea*, quae, quum uterum per consensum, vel antagonismum affi-

*) Vid. observationes in Huflandi Ephemerid. T. IX. I. p. 194.

cit, ad metastases referenda est. Lactationis autem neglectio uteri scirrhum vix per se efficere potest, nisi aut dispositio eminens, aut aliae quaecunque causae scirrhum efficientes simul subsint.

7) *Spirituosum abusus.*

8) *Uteri inflammatio* et causae omnes, quae eam perducere possunt. Nam si metritis in indurationem abit, maxime in eam, quae cum humorum dyscrassia conjuncta est, et scirrhi et cancri uteri indolem facile induit. Maximi itaque momenti est, ne metritis sive acuta et aperta, sive chronica et occulta, negligatur. Huc et colica menstrualis pertinet, quae saepe nihil nisi signum metritidis occultae est.

P r o g n o s i s.

Prognosis scirrhi et cancri uteri omnino infaustam esse, nemo negabit, cui morbi hujus ratio et gravitas et uteri dignitas non ignota est. Accedit, quod scirrhi initium, majorem sanationis spem praebens, saepe tam absconditum sit, ut cognosci vix possit; deinde quod feminae aut consulto, aut ob periculi ignorantiam hunc morbum, quo laborant, saepe celent, denique quod medicamenta, ipsi utero applicanda non tam fausto eventu adhiberi possint, quam aliis partibus cancro affectis. At quamquam haec ita sint, tamen de morbi hujus sanatione non perpetuo desperandum est. Varia enim est prognosis pro varia rerum circumstantium ratione; qua quidem in re haec potissimum spectanda sunt:

1) *Morbi stadium et progressus.* Major enim sanationis spes est in primo, minor in altero, nulla in tertio stadio *). Unde perspicitur, prognosin eo meliorem esse, quo citius medicus ad aegram arcessitur, eo pejorem autem quo, major uteri cancrosa destructio jam progressus fecit. Etiam minus periculum imminet, si sola portio uteri vaginalis, quam si et cetera uteri substantia scirrho aut cancro affecta est.

2) *Causarum i. e. et dispositionis et rerum nocentium ratio.* Quo magis enim aegrae ad uteri scirrhum et carcinoma propensae sunt, aut quo graviores et quo plures causae ex occasionalium genere accedunt et morbum provocant, eo pejor exitus metuendus est, et contra. Major itaque periculum in aegris, quorum catamenia jam cessaverunt aut cessare coeperunt, aut quae cacochymia non levi laborant, aut quae libidinosae, veneri nimium deditae fuerunt; deinde quarum scirrhus et cancer a syphilitide **), scrophulis, metastasi quadam aut catameniorum jam inde a prima juventute perturbatione ortus est.

3) *Vitae ratio.* Haec si, potissimum in primo morbi stadio, ita comparata est, ut omnia, quae nocent, evitari possunt, eo magis sperandum, scirrhum in cancrum non abiturum fore, et contra.

4) *Graviditas*, quae etiam ad scirrhum tollendum, is si per breve tempus tantum duravit, aliquid conferre potest. Plerumque tamen abortus oriri solet.

---

*) Vid. Goez *von den Krankheiten der Weiber* 2. B. p. 464.

**) Vid. de Siebold *von den Frauenzimmerkrankheiten* 1. B. p. 659.

5) *Symptomata morbi.* Infausta omina sunt: glandularum mammalium aliarumque glandularum induratio ovariorum, tubarum Fallopii, vesicae urinariae, intestini recti aliarumque partium utero propinquarum affectiones inflammatoriae. scirrhosae, ulcerosae, uteri haemorrhagiae vehementes, ichoris foetidi effluxus, febris hectica, deliria, spasmi, lipothymia frequens.

Scirrhi et Carcinomatis uteri Curatio.

Scirrhi et carcinomatis uteri curatio duobus nititur momentis, quorum alterum morbi *causas*, alterum vero ipsum *morbum* spectat. *Quare curatio causarum* et *morbi* distinguenda est.

I.

Curatio causarum.

Haec curationis pars in eo versatur, quod causae, quotquot ad scirrhum et carcinoma uteri aut provocandum aut sustentandum conferunt, removeantur et extinguantur, id quod tamen ad eas tantum morbi causas pertinet, quae scirrho jam exorto adhuc perdurant. Nam quae praeterierunt causae a medico non amplius attinguntur. Etiam quaedam extant causae, quae removeri non possunt, ergo medici opem respuunt v. c. catameniorum cessatio. Causae autem tum dispositionem constituentes, tum occasionales, aut in reginimis vitio, i. e. in vitae perversae ratione, aut in rebus externis nocentibus, aut in morbosa quadam corporis conditione continentur.

Quae a regiminis perversitate aut a rebus noxiis externis proficiscuntur causae, requirunt, ut aegra omnia evitet, quae morbum aut pertinacem aut vehementiorem reddere possunt, et efficiunt, ut

Scirrhus simplex qualis in primo stadio est, in cancrum occultum aut apertum immutetur. Quae hac in re a medico et ab aegra perficienda et fugienda sunt, quisque facile intelliget ex causarum consideratione, quas supra jám proposuimus. Praesertim autem corporis agitatio vehemens, animi commotiones sive excitantes, sive debilitantes, Spirituosorum abusus, libido, venus, tractatio uteri incauta, pessariorum improvida applicatio, injectiones nimis irritantes, vestimenta ventrem constringentia, reliqua evitanda sunt. — Ad eas causas autem quod attinet, quae in morbo quodam aut in corporis conditione a norma recedente, positae sunt, hae eam curationem postulant, quae cuicunque horum morborum indoli accommodata est; itaque Syphilis antisyphiliticis, scrophulae antiscrophulosis, inflammatio uteri antiphlogisticis etc. remediis curandae sunt.

II.

Curatio ipsius morbi.

Praeter causas uteri Scirrhum et Carcinoma procreantes etiam morbus ipse a medico impugnandus est. Hoc autem duplici modo peragere possumus, nempe aut medicamentis, tum interne tum externe applicandis, etiam nonnunquam sanguinis evacuatione, aut operatione chirurgica, i. e. exstirpatione aut totius uteri, aut partis ejus scirrhosae et carcinomatosae. De utraque curandi methodo singulatim tractabimus.

A.

Scirrhi et carcinomatis uteri curatio per medicamina.

In scirrhi et carcinomatis uteri curatione medicamentis perficienda, nos respicere oportet ad varia hujus morbi stadia.

Stadium primum et secundum. In his stadiis, maxime in prima, major, quemadmodum in prognosi diximus, morbi sanandi spes est quam in tertio stadio. Ne autem temere instituamus curationem, prae ceteris investigandum est, utrum inflamatio adsit, nec ne.

1) Si inflamatio revera adest, quod saepe accidit et in ultimo etiam morbi stadio accidere potest, ea aut ad acutiorem et apertiorem, aut magis ad chronicam et absconditam et tum ad passivam potius quam activam pertinet. Quodsi inflamationem acutiorem uteri ex signis praesentibus cognovimus, necesse est, ut remedia antiphlogistica adhibeamus. Quare hirudines perinaeo et regioni hypogastricae admovendae, laxantia antiphlogistica, v. c. e Tartaro tartarisato, Manna, Pulpa tamarindorum aliisque iis similibus parata, Serum lactis, emulsiones diaeta antiphlogistica, clysmata emollintia, et si gravius urget periculum, aut si plethoricae sunt aegrae, etiam venaesectiones in usum vocanda sunt. Mitigata inflammatione mercurialibus utendum est, nempe interne calomelano, externe unguento mercuriali perinaeo et regioni hypogastricae et pubis applicando. Si autem inflammatio uteri chronica passivae potius, quam activae indolis adest methodum antiphlogisticam antea praescriptam restringendam esse puto, et ea potius medicamina in usum vocanda sunt, quae hujusmodi inflammationi accommadata esse experientia nos docuit. Praecipua eorum sunt haec: Calomelas, Mercurius solubilis Hahnemanni, Aqua laurocerasi, Cicuta, Belladonna, quae omnia interne adhibenda sunt. Externe autem regioni hypogostricae, pubis et perinaeo Unguentum neapolitanum infricare et cataplasmata e Cicuta appli-

care, etiam decoctum Hyoscyami vel Cicutae in vaginam injicere consultum est. Haec omnia medicamenta etiam resolutionem scirrhi efficiunt.

2) Si nulla inflammatio in Scirrho animadvertitur talia medicamenta interne et externe adhibenda sunt, quae Scirrhum resolvere et humorum dyscrasiam cum eo conjunctam removere possunt. Ad haec remedia *interne* applicanda pertinent:

a) Plura *remedia metallica* nempe *mercurialia* jam antea laudata, etiam Mercurius sublimatus corrosivus, qui ab Anglis commendatur; deinde Antimonialia v. e. Tartarus emeticus, Vinum antimoniatum, Sulphur auratum antimonii parva dosi adhibenda; item Ferrum muriaticum, Ferrum carbonicum, Arsenicum in solutione Fowleria Wenzelio *) etiam in cancro aperto ut remedium etsi non sanans, tamen aegram sublevans laudatum.

b) Nonnulla *Alcalia* praecipue Magnesia, Aqua calcis vivae et Sapones.

c) *Salina*, inter quae terra ponderosa salita, Aqua thermarum carolinarum, Badensium, Amisensium praecipua sunt.

d) *Narcotica* quaedam ut Aqua laurocerasi **), Cicuta, Belladonna.

e) *Gummi resinae* resolventes ut Gummi ammoniacum, Galbanum, Asa foetida, Sagapenum.

f) Inter cetera madicamenta vegetabilia maxime laudantur Sa-

*) Vid. Wenzel *von den Krankheiten des Uterus.* p. 187. *I. Theil.*

**) Vid. Benjamin Osiander *in den Göttingischen gelehrten Anzeigen. Jahrgang* 1816. 13. *Stück.*

bina, Calendula officinalis, de cujus extracto, ad WESTRINGII *) sententiam, pilulae ponderis granorum duornm formandae earumque sex vel decem mane et vespere sumendae sunt; deinde Radix sassaparillae, Arenariae, Bardanae, Lapathi acuti, Saponariae, Cortex ulmi iisque similes; denique succus recenter expressus Nasturtii aquatici, Chaerefolii, Beccabungae, Taraxaci, Fumariae, Trifolii Fiberini aliarumque vegetabilium.

Externe autem adhibenda sunt: Injectiones e Cicuta, Belladonna, Hyoscyamo, capitibus Papaveris, Aqua laurocerasi diluta, Calendula, Sabina, solutione Mercurii sublimati corrosivi, Arsenici, Ferri aceteci paratae.

Haec omnia remedia, si bene feruntur ab aegra, per plures hebdomades continuanda sunt.

Stadium tertium magis curationem palliativam, quam radicalem admittit, quemadmodum hoc e prognosi perspicitur. In hoc stadio et quodammodo etiam in altero respiciendum est ad symptomata gravissima. Haec autem sunt:

1) *dolores vehementes.* Hae vero aut inflammatoriae indoles sunt, et tum remedia antiphlogistica, supra jam dicta, requirunt, aut non sunt inflammatoriae, et tum postulant aquae laurocerasi et opii saepe larga dosi propinandi, potissimum Pulveris Doveri, deinde Aconiti, Hyoscyami, Belladonnae usum internum, externe autem injectiones in vaginam ex Aqua laurocerasi, Ci-

*) Vid. *J. P. WESTRINGS Königl. Schwedischen Leibarztes Erfahrungen über die Heilung der Krebsgeschwüre. Aus dem Schwedischen übersetzt von C. SPRENGEL. Halle*, 1817.

cuta Hyoscyamo aut Belladonna paratas. Abstinendum vero opio est, si aut febris vehementior, aut inflammatio accedit. Etiam clysmatibus, digestivis aut oleosis utendum, ne alvus opio obstruatur.

2) Haemorrhagiae nimiae et vires exhaurientes. Huic autem symptomati in universum situ horizontali, et quia sanguinis profluvium passivum est, et ab uteri arrosione oritur, etiam adstringentibus, tonicis et aromaticis succurrendum est, praecipue interno usu Elixirii acidi, Aluminis, Ligni campechiani, Terrae catechu, Corticis peruviani, Tincturae cinamomi, Corticis Cassiae lingneae rel. Externe autem Aluminis solutio mucilaginosis juncta, decoctum Corticis Chinae vel Ulmi in vaginam injicenda aut spongiae ope imittenda sunt.

3) *Ichoris puridi generatio et profluvium.* Contra haec injectiones in vaginam conducunt e Succo Dauci recenter expresso, e Decocto Cicutae, Corticis peruviani, Salicis, Nucum juglandum in Aqua calcis vivae, aut e Ferro acetico in Aqua soluto parata.

4) *Virium prostrationi et febri hecticae cum hac conjunctae* victu bene nutriente eoque facile concoquendo, et Tonicis, nisi febris vehementior aut inflammatio adsit, succurrendum est.

5) *Vomitus chronicus* compescandus est Pulvere aërophoro, Potione Riveri, Hyoscyamo, Belladonna dosi gr. $\frac{1}{2}$ — j propinanda, et maxime opio.

---

*) Auctore Sieboldo. Videatur ejus liber: *Von den Frauenzimmerkrankheiten. Theil* 1. p. 672.

B.

Scirrhi et Carcinomatis uteri curatio per operationem chirurgicam.

Quum dirissimus ille morbus, de quo hucusque locutus sum, raro medicamentis tollatur, nostris temporibus nonnulli chirurgi arte sua et nomine insignes scirrho et carcinomati uteri exstirpatione mederi suaserunt. His prae ceteris adnumerandi sunt OSIANDER, DE SIEBOLD, DUPUYTREN, SAUTER *), STRUVE **) et LANGENBECK ***) aliique.

Perraro autem hac operatione hi assecuti sunt, quod assequi voluerunt; perraro enim felici eventu instituta est uteri vel carcinomatis exstirpatio. De hac operatione mihi nunc disserenti primum explicandum est, *quando et sub quibus conditionibus instituenda sit uteri exstirpatio*, et in hac re non possum, quin Perillustr. E. de SIEBOLD †) sequar.

Is enim operationem chirurgicam ad sanandum uteri scirrhum tum tantum instituendum esse judicat,

1) cum scirrhus tantum morbus localis nec a causis specificis sive sint locales, sive universales, exortus est;

---

*) SAUTER, *die gänzliche Exstirpation der carcinotösen Gebärmutter ohne selbst entstandnen oder künstlich bewirkten Vorfall vorgenommen und glücklich vollführt mit ihrer Anleitung, wie diese Operation gemacht werde u. s. w. Mit Abbildungen in Steindruck. Constanz*, 1822.

**) *HUFELAND's Journal* 1803. Bd. XVI. St. 3. p. 123.

***) LANGENBECK, *neue Bibliothek für die Chirurgie und Ophthalmologie.* Bd. I. St. 3. p. 551.

†) Vid. lib. laud. *Frauenzimmerkrankheiten* 1. Bd. p. 674.

2) cum nulla totius systematis lymphatici morbosa affectio adest, certe non ea, quae aliorum organorum glandulosorum induratione scirrhosa cernitur;

3) cum scirrhus nondum ad perfectionem perventus est;

4) cum quidem scirrhus in cancrum abiit, hic autem non per longum tempus duravit neque is resorbtionem ichoris effecit, neque partes propinquas, exstirpatione non removendas, arrosit v. c. vaginam, ovaria rel.;

5) cum vires aegrae febri hectica et tabe non ita debilitatae sunt, ut operatio non admittenda sit.

His cautionibus a *Perillustri de* Siebold positis, operationem omnino instituere nobis licitum est. Si autem nobiscum perpendimus non solum perdifficile esse dijudicatu, num uteri scirrhus localis sit morbus, nec ne, sed etiam parum adhuc profuisse operationem, dubium semper et anceps refugium ea esse videtur.

Quod autem ad ipsam *operationis instituendae rationem* attinet, in ea distinguendum est, num totus uterus, scirrho affectus exscindendus, an pars tantum ejus scirrhosa removenda sit; deinde utrum prolopsus uteri locum habeat, nec ne. Quae quum ita sint, Chirurgi varios operationis modos adhibuerunt.

Osiander *) duplici modo operationem instituit:

1) Si uterus scirrho aut carcinomate affectus non prolapsus est, genitalia antea injectionibus purganda, unguentis emollienda, excrescentiae autem carcinomatosae digitis vel instrumento ad exstirpationem inserviente, removendae sunt. Deinde acu

*) Vid. *dessen Aufsatz im Reichsanzeiger* 1803. No. 300. p. 3926. nec non *Göttingischer gelehrter Anzeiger* 1808. p. 1300.

curvata et satis flexibili, per cujus foramen Filum crassum et cera obductum trajectum est, uteri cervix perfoditur et ita uterus deorsum ducitur. Idem etiam forcipis opepe rfici potest. Quo facto cervicis uteri pars degenerata cultro incisorio antica parte obtuso, abscinditur. Haemorrhagia autem subsequens pulvillo aut pulvere quodam styptico sistenda est.

2) Si cervix jam maximam partem ulcere cancrosa exesus, et cavum uteri fungi carcinomatosi plenum est nec uterus acubus amplius capi et detrahi potest, aegra in situm horizontalem redigatur, adjutor autem jubetur, ut, manu in regione fundi uteri posita, hunc deprimat. Deinde fundus uteri ad excavationem ossis sacri digito indice sinistrae manus figitur, medius vero et annularis digitus infertur in uterum, digitis autem forficis sectiones dirigentibus, singulae eaeque parvae cancrosae partes exsecantur. Quo facto, cavum uteri stipandum est spongia, vino et pulvere styptico (ex paribus partibus aluminis et gummi arabici compositis) implenda et haemorrhagia ita sedata, spongia aqua suturnia et aceto adspersa infertur. Simulac suppurationis vestigia in spongiis animadvertuntur, haec aptis remediis adjuvanda est, et, ut Osiander suadet, mixtura extracto nucis juglandum, melle et Mercurio praecipitato rubro composita. Si suppuratio nimia est, eadem mixtura at dosi refracta et sine mercurio praecipitato rubro infertur; sin autem exigua est suppuratio, ea remediis roborantibus internis potissimum cortice peruviano adjuvanda est.

Aliam methodum, ab ea, quam Osiander et de Siebold se-

cuti sunt, plane diversam DUPUYTRENIUS *) proposuit atque instituit. Praecipua hujus methodi momenta haec sunt: Postquam aegra ita collocata est, quemadmodum hoc in lithotomia fieri solet, speculum a DUPUYTRENIO inventum et descriptum in vaginam immititur et ab adjutore quodam comprehenditur. Quo facto cervix uteri forcipis ope arreptus protrahitur et quod in ipso cervice morbosum est et scirrho degeneratum, cultro incisorio (*Bistouri*) aut forfice abscinditur. Sanguinis e vulnere fluxus plerumque tam exiguus est, ut Chirurgi opem non postulet, si autem profusior esset, locus ille, e quo sanguis profluit, ferro paullulum candendi tangendus est. Raro fit, ut inflammatio vehementior accedat. Praeterlapsis autem duabus vel quatuor hebdomatibus vulnus in cicatricem plerumque abiit; si autem cervix uteri tantopere vietus et correptus est, ut sine dilaceratione arripi non possit, aut si peracta exstirpatione, antea descripta, denuo scirrhus aut carcinoma revertitur, destruenda est pars morbosa ope cauteriorum potentialium, nempe lapidis infernalis ex RECAMIERI opinione, aut Hydrargyri nitrici in Acido nitrico soluti ut DUPUYTRENIUS suadet.

---

*) Confr. CHELIUS *Handbuch der Chirurgie* 2. Bd. *Heidelberg und Leipzig*, 1827. p. 634.

THESES.

I.

Naturam cancri uteri non satis perspectam habemus.

II.

Omnia cancri uteri signa, nisi quae exploratione percipiuntur, incerta esse censeo.

III.

In cancro consummato uteri nulla conceptio.

IV.

Specificum ad cancrum uteri curandum esse nego.

V.

Aquae laurocerasi vires specificae ad uteri indurationem curandam non concedendae sunt.

VI.

Exstirpationem uteri rejiciendam esse existimo.

VII.

Omnia conceptionis signa incerta sunt.

VIII.

Hymen nullum certum virginitatis signum est.

IX.

Quaeritur, an castratis facultas subolis procreandi insit?

X.

Superfoetatio fieri non potest.

XI.

Ephelidum origo atque natura non eadem est, quam lentiginum.

XII.

Lunae vis in organismum hominum non deneganda est.

ORDINIS MEDICI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

H. T.

EX-DECANUS

D. GUIL. CAROL. FRID. SUCCOW

SOLLEMNIA INAUGURALIA

MEDICINAE UTRIUSQUE CANDIDATI

CHRISTIANI AUGUSTI KAPHAHN

OSTERFELDAE-BORUSSI

A. D. V. M. FEBRUARII CIↃIↃCCCXXVIII

PUBLICE HABENDA

INDICIT.

Inest

Animadversionum in tracheitidem infantum

PARTICULA IX.

IENAE

EX OFFICINA SCHREIBERI ET SOC.

Sequitur, ut de remediis e *Mercurialium* ordine disseramus, quorum eximia in Angina stridula vis primum ab Americanis perspecta, deinde et nostris medicis ita patuit, ut, qui dubitent de ea, nunc pauci *) reperiantur.

Duplex autem Hydrargyro in Tracheitide exsudativa sananda efficacia vindicanda est, altera *topicae inflammationis extinctione*, altera *Pseudo-membranae dissolutione* **) conspicitur.

Atque ut primum de ea Mercurii vi, qua is Tracheae inflammationem tollere aptus est, et quam antiphlogisticam vocant, loquamur, nullum profecto inve-

---

*) Inter quos Hydargyri contemtores GUTFELDIUM (HORNS *Archiv für medicinische Erfahrung.* Bd. II. *Heft* I.), KAPPIUM (*Systematische Darstellung der durch die neuere Chemie in der Heilkunde bewirkten Veränderungen. Hof.* 1805.) *et* MAERKERIUM (HUFELANDS *Journal der prakt. Heilkunde* B. XIX. *Stück* 3.) nominasse sufficiat.

**) Pseudo-membranam in Trachea ortam Hydrargyri ope dissolvi posse, quis est, qui neget? Cavendum tamen est, ne soli vi chemicae Hydrargyri tribuamus, quod non, nisi virium vitalium subsidio perfici potest.

nies medicamen Hydrargyro praestantius, nisi sanguinis evacuationem excipere velis.

Quum autem remedia e Mercurialium supellectile desumpta alia per os suppeditentur, alia vero per cutem admoveri possint, utraque applicationis ratio uberius nunc pertractanda est.

Ordiamur itaque a Mercurialibus *interne* utendis, quorum praecipuum *Calomelas* aestimatur, nostra potissimum aetate prae ceteris celebratus. Neque id immerito. Nam pauca ex ingenti Mercurialium apparatu invenies medicamina, quae, quod efficiunt, tam cito praestent, pauca etiam, quorum tam mitis sit indoles et teneri infantum aetati tam apta, pauca denique, quae tutius exhiberi possint, quam ipse Calomelas; unde factum est, ut medici eum ceteris fere omnibus anteponerent. Magna quoque *Mercurii solubilis Hahnemanni* commendatio est, at non tanta, quanta Calomelani debetur, quod ille multo cautius adhibendus est, ob majorem diarrhoeae et salivationis facilius movendae metum.

Plura autem, quae ad Calomelanos usum pertinent, hoc loco accuratius a nobis et consideranda et explicanda sunt.

Primum enim monendum est, Calomelanos *dosin* non tam infantum aetati, quam potius morbi incremen-

to et gravitati esse accommodandam. Quamobrem dulcis Mercurii per stomachum ingerendi copia tempore prodromorum non tanta esse debet, quanta expostulatur, si ad alterum morbus jamjam pervenerit stadium, potissimum si gravius a Trachea vehementer inflammata suffocandi periculum aegris minitatur. Quod si acciderit, Calomelani non parcendum est, nisi majoris momenti noxas inde oriri posse intellexeris. Et profecto, si experientiae confidere fas est, non possumus, quin ingentem Hydrargyri, eamque sine ulla et vitae et sanitatis detrimento ab infantibus devorati copiam maxime miremur, quae saepe tanta est, ut ab adultis aetate vix tolerari potuisset. Id autem Calomelanis proprium esse videtur, ut infantibus, potissimum qui Tracheitide affecti sunt, minus plerumque noceat, quam adultis. Cujus rei testes tot tantaeque nostri aevi medicorum observationes extant, ut, quae ab aliis jam dudum uberius prolata sunt, exempla hoc loco denuo repetere, prorsus supervacaneum foret. Hoc tantum addere mihi liceat, quod ipse ego puerum undecimestrem, cui, quum vehementi tracheitide affectus esset, inter quinque dierum spatium nonaginta et sex Mercurii dulcis grana per stomachum propinaveram, non solum prorsus sanatum et incolumem, sed etiam vegetiorem evadere vidi.

Nec tamen omnibus tam ingentem Hydrargyri dosin suppeditandam suaderem, quippe quae permultis quidem innocua, nonnullis tamen adversa est; quod, ut uberius a nobis explicetur, non deerit opportunitas.

Deinde non praetermittendum esse duco, (id quod non solum nostris, sed etiam aliorum observatis edocti scimus) Mercurium tutius et majore aegri emolumento adhiberi posse, si sanguis, sive hirudinum ope, sive alio modo antea detractus, quam si sanguinis missio neglecta fuerit. Validis certe, aut vehementiori Tracheitide, afflictis sanguinis evacuatione omissa, Calomelane, tuto succurrere non poteris, quamquam segnioribus aut levi tantum tracheitide laborantibus nonnunquam contigit, ut solo Mercurio sanarentur. E quibus omnibus concludere par est, magnam quidem Hydrargyro vim inesse, ad superandam Tracheitidem, at non tantam, ut sanguinis egestione perpetuo carere possimus.

At memores officii, cujus causa haec scripta sunt, nolumus cunctari in producendo et commendando praenobilissimo utriusque Medicinae Candidato

CHRISTIANO AUGUSTO KAPHAHN
Osterfelda - Borusso.

Qui, quum antea in schola medico-chirurgica, quae Dresdae est, studia fecisset, nostram deinde litterarum Universitatem petiit, arti medicae operam navaturus,

laudesque diligentiae et morum honestatis meritas tulit. En ipsius vitae studiorumque rationem, quam Ordini nostro ita proposuit:

Natus sum ego Chr. Augustus Kaphahn *Osterfeldae, nunc oppido Borussico, ante Calendas Januarii anno millesimo octingentesimo tertio, patre, quem mature amisi,* Friderico Guilielmo Kaphahn, *tum temporis Medicinae, Chirurgiae et artis obstetriciae Practico, matre* Rosina, *e gente* Euchstadia. *Posteaquam cura parentum, quorum tantum erga me amorem verbis vix exprimere possum, privatim eram ab idoneis magistris in primis religionis christianae et litterarum elementis institutus, decem annorum puer deducebar in scholam cathedralem Numburgensem. Quam scholam postquam per integrum annum frequentaveram, fratris consilio per quatuor annos adii Illustre Lyceum Isebergense tunc florens disciplina* Brendeli, *Rectoris, Viri de me optime merentis, cujus in me collatam operam tantum abest, ut unquam obliviscar, ut ejus beatis Manibus pietatis debitum per totam vitam exsolvam. Have igitur, Dive, gratias accipe, sincero Tibi pectore habitas et aeternum vale! — Have, cara anima, ego Te, quando fata jubebunt, sequor! — Quo itaque scholarum cursu rite emenso, Academiam medico-chirurgicam Dresdensem petii, quo* Seilero, *Directore, civium numero adscriptus Illustr.* Haanii *acroases de Logica et Psychologia adii, scholas de Mineralogia et Botanica Ill.* Reichenbachii *frequentavi, Illustr.* Seilerus *Anatomiam et Physiologiam me docuit, et in Physica arteque chemica Illustr.* Ficinum *magistrum habui. Quorum praeceptorum disciplina per duos annos usus, litterarum Universitatem Jenensem adii, quo auctoritate Ill.* Bachmanno, *qui tunc fasces Academiae tenebat, civitate donatus hoc fere ordine Professorum acroateria frequentavi. De Pathologia generali et Therapia speciali Illustr.* Kieseri *principia secutus sum; in Chirurgia arteque obstetricia Perill.* Starkio *praeceptore usus sum; Pharmacologiam et Therapiam specialem Illustr.* Succowio *debeo;*

de oculorum morbis, Chirurgia generali et Medicina forensi Illustr. Starkii jun. scholis frequens interfui; instituto clinico, cui Perillstr. Starkius et Illustr. Succowius, Directores, praefecti sunt, etiam interesse mihi contigit. Denique in arte obstetricia practica praeceptores habui Perill. Starckium et Execell. Walchium, quibus ducibus puerperis in partu opitulari easque curare didici.

Quibus itaque praeceptoribus omnibus omnino ob tot tantaque de me merita gratias, quas maximas possum ago habeoque. Faxit Deus O. M. iis ut beneficia illa aliqua certe ex parte aliquando possim remunerari.

Nuper ab Ordine nostro examen, quod Doctoris gradum ambientibus subeundum est, petiit, eoque feliciter superato, veniam impetravit dissertationem suam de *Scirrho et Carcinomate uteri* pro summis in utraque Medicina honoribus rite capessendis publice defendendi, quod faciet die V Februarii.

Vos itaque, Magnifice Academiae Prorector, Curator splendidissime, Professores et Doctores celeberrimi, Commilitones humanissimi ceterique bonarum litterarum Fautores, omni, qua per est, observantia rogo, ut hunc actum solemnem frequentia Vestra illustrare non dedignemini.

P. P. sub Sigillo Facultatis Medicae in Universitate litterarum Jenensi, die XXVIII. m. Januarii anni MDCCCXXVIII.